

/ Illustrissime Domine
Pax Christi.

Ignotus scribo, non ad ignotum; toto enim orbe Illustrissimus Bellarminus scriptis suis illustris, clarus, notus est. Sed neque
5 ipse Ill/mae D/ni V/ae omnino ignotus ero, ubi libellum hunc nostrum piorum Epigrammatum (si modò tantum à sacris summisque occupatio- nibus erit otii) perlegerit. Quem hac occasione mitto, quod alia de causa eaque pia rogatus sim scribere ad Ill/mam D/nem V/am. Causa ista est. Est hic Lovanii Parochiale Templum Sancti Michaelis Ar-
10 changeli, urbis totius antiquissimum, in quo olim Ill/mum Bellarminum latine perorantem plerique Academiae Doctores (sed seniores) adhuc memorantur et gloriantur; et in quo ego, ipso hoc tempore, belgico sermone ad populum dominicis festisque singulis verba facio. Hujus, inquam templi, tum Pastor, tum Aediles, tum Parochiae viri spectatis-
15 simi et nobilissimi quique, me obnixè rogarunt uti ad Ill/mam D/m li- teras darem, quibus et illi suas jungerent (uti faciunt) super In-
dulgentia Plenaria à sua Sancitate per Ill/mam Gratiam vestram impe- tranda huic templo nostro (imo vestro) Sancti Michaelis Lovanii, id- que die titulari XXIX^o Septembris, quo praecipue S. Michael ab Eccle-
20 sia colitur. Breve quidem est, nec multorum dierum, intervallum, ab hoc tempore ad proximum S/ti Michaelis diem; sed serius rogatus ip- se, non mirum si serò rogem. Spero tamen fieri posse ut ante illum diem, gratia diligentiaque Ill/mae D/is V/ae, Gratiam Pontificiam obtineamus. Quod si fiat, uti fore confidimus, beneficio nos sibi ob-
25 strinxerit immortalì; clementissimum interim Dominum assidue pro sa- lute vestra rogaturos, ut Ill/am D/em V/am S.R.E. quam diutissime servet incolumem. Salutem amicissimam Ill/mae D.V/ae ascribi jussit R.P. Leonardus Lessius. Salve et vale Illustrissime Domine. Lovanio XVI Augusti 1616. / E Collegio Soc/tis Jesu Lovanii
30 Ill/mae D/nis V/ae / in Christo Jesu / indignus servus et filius / Bernardus Bauhusius / Soc/tis Jesu sacerdos (adr) Ill/mo et R/mo Dno Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali. Romae.